FONTINALIA
PETRINA
EXCELLENT. NOBILISS. AMPLISS. DOCTISSIMIq;

D O M I N I

M. PETRI IAENICHII,

INCL. GYMN. THORUN. RECT. ET PROF. PRIMAR.

AN. 1721. d. 29. IUN.

FELICITER RECURRENTIA,

OB SUMMA IN SE MERITA,

VOTIVO SCHEDIASMATE,

PROSEQUI VOLEBANT

NOMINIS ET FAMAE

IAENICHIANAE

DEVOTISSIMI CULTORES

Io. Christoph. Löw/ *Stein. Siles.*

Jacob. Schmidt/ *Thorun. Pruss.*

THORUNII,

Impressit Jo. Nicolai, NOBIL. SENAT. & GYMN. Typographus,



D. O. M. A.

ADeste Cives ſvaviſſimi!
Accurrite Pindi Thorunenſis incolæ!
Fontem ſpectate, limpidum,
Undique purum, vitreum, ſuique coloris,
Undique ſapidum, dulcem, & plane medicum.
Sed quid ſpectare juvabit?
Quid oculos paſcere?
Haurite intrepidi, guſtate ſecuri,
ſitim eruditam reſtingvite,
æſtum cum æſtate creſcentem mitigate,
ſudorem pulvere & ſtadio contractum abluite.
Muſas æmulari decet,
nam illæ & fontes colunt & bibunt.
En aquam praebet ſideream
Dia mens & lingva Neſtore digna
Excell. Nobiliſſ. nec non Doctiſſ.

DN. M. PETRI IAENICHII,

Gymn. Thorun. Rect. & P. P. O. meritiſſ.
Et hac geminata Apoſtolorum luce
clarior fluit, uberiorque exundat.
Sed fontis obſervate ordinem!
Videtis ſenas
ſenis ſeu tubulis ſeu fiſtulis
erumpere venas?

Videtis ſibi nihil retinere,
aliis nihil invidere :
Omnia cum emittunt, nihil tamen amittere?
Tot dotes ſunt,
Quæ magno Muſagetæ Veſtri pectore,
Ceu Nymphæo manant capacisſimo ;
Hinc rerum divinarum ſcaturit ſcientia;
Illinc melioris Sophiæ defluunt myſteria:
Hac Hiſtoria, prudentiæ mater & magiſtra,
Iſthac lingvarum ſublimis cognitio;
alia parte mellitiſſima facundia,
et plane ſvada-medulla ;
mox alia ſumma morum ſvavitas
attollitur & emicat.
Quid multa?
Hexagonum fons ille format,
Et humilis dum eſſe cupit,
alte jaculatur aquas,
neque his Thorunii anguſtiis continetur.
Videte,quam non jactet cum impetu,
ſed ebulliat cum ſuſurro:
quam non æſtuet ſubitoq; deficiat,
ſed æquali libramento fluat,
et animis auditorum illabatur !
Hinc tot diſpoſitæ phialæ,
Queis diviniſſimus humor excipitur.
Hinc tot areolæ, quæ uno fonte rigantur,
tot arbores, quarum ille ſtipites ambit,
radices penetrat, intimasque permeat medullas,
Gaude tuo bono Thorunium, ſi quid ſentis:
Gratulare tibi & natis tuis, ſi intelligis:
Vtere fruere fonte Pegaſeo, ſi non deſpicis:
Lauda etiam aliis, ſi non invides.
Permitte Indiæ Gangen,
Lybiæ Pactolum, Hiſpaniæ Tagum,
Italiæ Padum, Germaniæ Rhenum ,
Pannoniæ Chryſum, Thraciæ Hebrum.
Vehant illi ſecum auri ramenta,
Et maſſas aliquando ſelibres ;
Præſtringat oculos ſolaris metalli fulgor,
Et nitor gemmarum ſtellas ſcintillantes provocet.

Et

Et hic fluit Tagus:
Et hic gemmas volvit Oceanus.
Habetis Thorunii extra Græciam,
Quod olim sola mirabatur Græcia,
Vultis fontem Clarium,
Qui haustus vates efficit?
Docebit vos IAENICHIVS præscire futura,
si ad præsentia accomodabitis præterita.
Vultis Clitumnum vel Cephissum,
Qui candido vellere imbuerunt armenta?
Plus ille præstat: mores mutat in melius,
Ut qui feri & nigri accesserunt,
Mansveti abeant & candidi.
Quæritis aquas Dodoneas,
Queis faces extinctæ flammas receperunt?
Eandem ille sed blandam
Exercet tyrannidem:
odium erga vitia, amorem in studia,
ardorem pietatis vividæ suscitat fovetque.
Quin ergo valeat Lyncestis
aqua Thraciæ!
Sapida erat, sed & noxia;
pura erat, sed & mentem turbabat,
Bacchi æmula, Bacchi imitata furores.
Valeat liquor Colophonius:
Reddunt sane, qui hauriunt, oracula,
sed & spiritum reddunt:
qui, dum haustus fuit longior,
subito evasit brevior.
Permittite Cives optimi,
Ut plura unius fontis arcana detegam.
Quædam apud Ciconas aquæ
Hominem in saxum rigidum,
Viscera in durissima marmora
transformabant.
IAENICHIVS fons contra facit:
durum quod est, emollit:
Informe quod fuit saxum, format in hominem.
Subeunt terras flumina,
Lycus in Asia, Tigris in Mesopotamia,
Timavus post Aquilegiam,

iterumque

iterumque erumpunt ,
& curſum tenent priſtinum.
Subit etiam noſter Muſagetes
Invidiam, contemptum, opprobria:
premitur his & occultatur,
ſed & eluctatur potentius,
et poſt umbras, imo ſupra omnes umbras,
maiores undas vehit.
Facit hoc quod Rhodanus,
qui alias aquas ſupernatat,
hoſpitales & ſuas tantum trahit.
Facit hoc quod fons Arethuſæ,
qui maris odio vada ſubit,
longoque tractu in Alpheo emergit.
Reliqua in compendium mittam.
Sedant aquæ noſtræ ſitim,
ſed & excitant:
Refrigerant æſtum, & fovent calorem:
Sudant venæ abeuntque in fluvios,
ut rigent arida,
nutriant virentia,
refocillent marcida:
Neque tamen, dum abeunt, diſcedunt;
neque, dum dividunt alveum,
minores fiunt;
quin, quo plus erogant,
hoc maiores capiunt auctus.
Macte tuis bonis Gymnaſium!
Perenniter Tibi defluat
Fons iſte ſenarius!
Omnes tibi Nymphæ & Charites
ſervent hocce Nymphæum!
Vnum memento,
quod non dememiniſſe monet
Romanorum Varro doctiſſimus:
Qui aquam hauris, fontem corona
Fontinalia hodie celebratis, Cives,
et fontem vere Petrinum inviſitis,
Proluitis vos, non ex ampulla,
ſed ex capace amphora,
diſciplinis optimis.

Hinc

Huc ergo adeſte,
Et, ſi ſtatuis non expedit,
Votis certe,obſequiis,plauſibus,
Omnibusque coronate lætitiis.
Permitte IAENICHI Nobiliſſime,
ut verbis ludamus non animis,
Seria ſunt quæ cogitamus,
vera quæ proferimus.
FœcundumTuum ingenium
Fontis inſtar nobis eſt:
Hauſimus inde & haurimus adhuc,
quod tenebras noſtras luce,
ſolitudinem frequentia,
ſilentium alloquio,
robore infirmitatem,
gaudiis compenſat triſtitiam.
Propius aſſidere huic ſcaturigini
Divina ſorte datum eſt,
& tanquam in ſpeculum intueri:
hinc optimæ vitæ inſtituta,
hinc pulcherrima doctrinæ argumenta.
Videmus negotium ſine otio,
laborem ſine tædio,
ſvavitatem gravitati,
affabilitatem reverentiæ coniunctam.
Ingrati eſſemus,
ſi delibato fonte,
& aquis planeClariis delibuti,
Cum in ingratiis gratiis, ſine coronis,
ſine votis diſcederemus.
Hæc ergo ſumma votorum eſto;
Lætus celebra Tua Fontinalia,
Patrone benigniſſime,
et pluribus luſtris recole felicior.
Surgant e rore ſcaturigines,
Scaturigo rivulos,
Rivuli reddant flumina,
Vireſque acquirant eundo.
Flue perenniter patriæLuſaciæ,
Quæ Te ad Viſtulam
Magnum miratur filium.

Flue

Flue Gymnasio Thorunensi,
Et omnium disciplinarum margaritas,
gemmas, thesauros ad vehe.
Flue Familiæ Tuæ Nobilissimæ,
ut radices agat amplius,
ramosque jugiter diffundat.
Flue etiam Nobis,
quos seu clientes seu accolas
hactenus habuisti:
Serva porro amorem integrum,
favorem illibatum:
instrue nescientes, dirige errantes,
sustine laborantes, & stantes confirma.
Vale decus ingeniorum,
Tuisque fave cultoribus,
quibus præter meminisse,
Servire & bene precari,
nihil fecit reliqui
Fortuna.

